

in gratiam Lectoris hic inspergere libet. Et primò qvidem in medio areæ obtulit se conspectui nostro fons 90. siphonibus aquam sursum deorsumq; eructans, in cuius apice Neptunus continuâ vertigine circumrotatur, inferius Vulcanus cum famulis suis assiduis iictibus incudem percutit. Occurrebat deinde in angulo qvodam Hercules, cum Dracone aureorum pomorum custode clavâ pugnans, quam, quoties Draconis capiti impingit, toties hic aquam in faciem percutientis ejaculatur. (Qvod artificium, et si paulò aliter, Schottus quoq; part. II. Mechan. Hydraul. Pnev. Class. I. c. 4. Mach. 7. p. 265. describit.) In alio vestibuli extremo comparebat Diana, una cum Nymphis ad fonticulum qvendam se perluens, circa quem varia animalcula, quasi venatione agitata circumcursitant; tum Actæon è spelunca qvadam prodiens colliculum qvendam conscendit, sed in viâ à Diana ultricibus undis perfusus, cornibus armatus reddit, antrumq; repetit, è quo deinceps humili jacens à canibus suis protrahitur. Proximè hanc machinam sistebat se Hercules, Cerberum ex angulo qvodam producens, qui aquam simul & ignem ingenti fragore in ipsum evomit. Defluvium in receptaculo qvodam inferius colligitur, ad quod leo aliquis ultra 5. ped. accedens, aquam ex eo hianti ore haurit, exhausturus vel vastissimam cupam, si tantum aquæ afflueret; eoq; peracto ad pristinum locum se recipit: quam posteriorem tamen Machinam laudatissimus ille Artifex, ob varias aliarum occupationum remoras, in effectum (et si ipsi minimè dubium, planeq; jam exploratum) penitus dare hucusq; nondum potuit. Occupatur quoq; in elaborandâ Machinâ aliâ Hydraulico-Pneumaticâ, qvæ Parnassum cum Musis, instrumenta sua moventibus, repræsentabit: annectetur ei Organon aliquod Hydraulicum, quod ope venti per folles producti harmoniam edet. Quale qvidem organon aliud, pridem à se fabricatum, quod 6. cantilenas intonat, idem Vir humanissimus nobis ostendit. Exhibuit deniq; siphonem qvendam, quo ad compescenda incendia utitur, qui non ut vulgares alii motu interrupto, sed continuo fluxu aquam ad 70. ped. altitudinem ejaculatur: alias quæ uberrimæ cum utilitatis tûm jucunditatis Machinas Hydraulicas, quibus omnibus recensendis supersedeo.

(56.) V. Acta Angl. Mens. Febr. anni 1666. n. I. & Ephem. Erud. XVIII. anni 1666.

(57.) De-